



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

Quòd pro mortuis oramus. Titulus 300.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

solus dator est: sancti, intercessores & cæt. Iudæi derident Christianos, quia adorant Christum, tanquam mortuum. Gentes olim SS Martyrum corpora combusserunt, ne scilicet adorarentur à nobis Christianis, Euseb. lib. 8. Ecele. histor. cap. 6. & c.

QUOD PRO MORTUIS

ORAMUS.

TITVLVS CCC.

Papistæ excogitârunt ex auaritia vigi- Causa ix.
lias & Missam pro animabus, anniuer-
saria. tricesimam, & dicunt, quòd sunt
satisfactiones pro peccatis eorum, &
mereantur illis remissionem & vitam,
quod maximè derogat honori Christi, qui solus satis-
fecit & peccata nostra portauit, Esa. 53. 1. Ioan. 2. Ipse
est propitiatio, & cæt. Subindè cum sacramentum Eu-
charistiæ solùm profit viuis, qui illo vtuntur, ipsi of-
ferunt pro mortuis: & dicunt, hoc impetrare mortuis
remissionem peccatorum & liberationem è Purga-
torio. At cum scriptura præcipit, vt viuus oret pro vi-
uo, nullibi autem dicit, vt oremus pro mortuo: nam
non prodest oratio mortuo: ideo fugiendi sunt Papi-
stæ cum tali blasphemia & idololatria.

Ad hanc calumniam dicimus primò: causa quòd
oramus, est primò scriptura 2. Machabæ. 12. vbi prin-
ceps Iudas Machabæus dixit, Sancta (id est, non falsa)
ac salubris (& non inanis) est cogitatio pro defunctis
exorare, vt à peccatis (id est, pœnis peccatorum) sol-
uantur. Exemplo orat Christus pro Lazaro mortuo,
vt Deus pater eum resuscitet, Ioan. 11. sic imponit ma-
num filie, Matth. nono rogatus, & non reijcit petiti-
onem supplicantis tanquam vanam. Tertiò, quia
corpus nostrum mysticum, quo semel coniuncti su-
mus per fidem & charitatè hic in terris, & vniti capiti

TTt 4 Christo,

Christo, 1. Corin. 12. nondum est destructum per mortem, sed adhuc manet, & in caelo vnam constituit Ecclesiam nobiscum ex defunctis, vt dicit Augustin. lib. 20. de ciuit. Dei cap. 9. adhuc nostra sunt comensura, ideo cum charitas non excidit, 1. Corin. 13. sumus solliciti membrum pro membro. Et cum Christus docuit orationem Dominicam orare pro tota Ecclesia, Matt. 6. Libera nos a malo: Ideo oramus pro illis ex debito fine maximè cum nescimus an iam sint liberi a pœnis necne.

Secundò obijciunt, ex quo nescimus illorum statum pro certo, ad quid profunt anniuersaria, tricesimi, vigiliae, Missae, omni anno, &c? & iam vltra centum annos pro aliquibus fiunt huiusmodi, sicut in monasterijs & Ecclesijs cathedralibus fit pro fundatoribus. Vana ergo sunt. Augustin. de octo quaestionibus, quia soluit hoc argumentum etiam sibi obiectum, & inquit: Cum fiunt vigiliae, orationes, eleemosynae, tricesimi, &c. pro valde bonis & iam saluis, tunc gratiarum actiones sunt pro misericordia Dei, quod eos liberauit a pœnis & saluauit: cum fiunt pro non valde malis, vt sunt fideles, qui in fide Christi recesserunt, attamen adhuc pro peccatis ex humana fragilitate contractis, pœnas sustinent, liberationes sunt. Postremò, pro valde malis, id est, damnatis ex toto, si fiunt suffragia, licet illis non proderunt, alijs tamen propinquiorebus ex illo sanguine profunt, & sic non sunt vacua & sine fructu suffragia. Hoc omnes cum Graeci tum Latini doctores approbant, &c.

Tertiò, suffragia illa non sua virtute & dignitate merentur satisfactionem pro peccatis mortuorum. Vnus est, qui semel satisfecit pro peccatis totius mundi, 1. Ioann. 2. sed sunt media, per quae Deus credentibus distribuit & communicat suam satisfactionem. Ipse Deus pater debet soluere a pœnis propter sanguinem filij sui, sed hoc nos petimus vigilijs & orationibus, non

bus, non quòd nostra opera sint satisfactiones suffi-
 cientes &c. Sic Sacramentum non offerimus pro il-
 lis, nec ipsi etiam communicare hoc possunt, sed ora-
 tiones quæ fiunt in Missa, illis profunt. Nos accipi-
 mus Sacramentū, & circa hoc petimus propter Chri-
 stum, quem hîc præsentem in altari habemus & tra-
 ctamus, vt Deus propter illum donet requiem æter-
 nam fidelibus defunctis. & sic vetus est distinctio,
 quòd Missa tanquam Sacramentum solùm prodest
 vrenti. Secundò, tanquam sacrificium prodest etiam
 alijs, quia patri offerimus filium, precantes vt nostrū
 misereatur propter illum. & sic per modum sacri-
 ficij prodest defunctis, sed non per modum

Sacramenti. Hæc est fides Catholica.

quid ad nos, si hæretici nolūt re-
 spiscere, sed solùm in suis
 somnijs obstinati
 pergere. .do.



DEUS CONSERVET
 SVOS. .do.

T T t 5 INDEX